Q. D. B. V. I.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

De

INFLAMMATIONE,

Quam

DECRETO ATQUE JUSSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA PATRIA

PRÆSIDE

DECANO EJUSDEM SPECTABILI

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO

ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. JEREMIA LOSSIO,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE LONGE CELEBERRIMO, ANATOM. ET BOTAN. PROFESSORE PUBLICO FAMIGERATISSIMO, MEDICO PROVINCIALI SAXONICO FELICISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ATQUE STUDIORUM SUORUM PROMOTORE SANCTE ÆTERNUMQUE SUSPICIENDO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS CONSEQUENDI HONORES

publico Philiatrorum Examini sistit

MICHAEL GOTTFRIED ZIEGRA/

WITTENBERGENSIS,

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

D. XXIX. MARTII. A. P. C. N. MDCLXXXIII.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

I. N. J.

INcendia qvantas in Macrocosmo calamitates accersire, qvanta damna dare haud rarò soleant; neminem latere facilè arbitror. Etenim non tuguriola modò ac ignobiliora ædificia absumunt promptissimè atqve depascunt, verùm splendidiora etiam, Pallatia, ac ipsa Principum Regumqve domicilia vastant penitus & hauriunt. Sæpiùs augustas Bibliothecas librosqve, qvos nulla vetustas abolere citò poterat, flammâ sua delent velociter; sæpè ipsum hominem, admirandam Microcosmi structuram, in cineres redigunt. Et qvid tandem est, qvod ab hoste hoc immunitatem polliceri sibi valeat? Nihil fere! Nihil pene est, qvod ignis si non corrumpere atqve destruere funditùs, immutare tamen & pervertere non potis est.

Qvod in Macrocosmo Incendia, illud pariter & in Microcosmo Inflammationes afferre solent detrimentum. Enimverò ut latissimum ejus ac universale qvasi incendium ardoremqve in Febb. taceam non solum ignobiliores partes, qvales Artus sunt, sed præstantiores etiam affligunt pessimè misereqve urgent. Qvid admirabilius Oculi, in Cameræ obscuræ modum fabrefacti, structurâ? & eam tamen evertunt. Tentant & sæpius Cerebrum, Regimen sanctius & Cancellariam, in qva ad totius Regni Microcosmici rectionem & conservationem suscipiuntur Consilia, Decretaqve

ſtatuuntur. Tentant Cerebrum, Bibliothecam auguſtisſimam, qvâ tanta tamqve præclara ut plurimum reconduntur ſcripta, ut ab interitu etiam vindicent mortales. Imò nec ipſam regiam Animæ ſedem, Cor, intactam linqvunt, ſed afficiunt non rarò ſat graviter. Uno verbo, qvicqvid carnoſum in corpore, omne illud truculentiam iſtarum experiri cogitur.

De hoc ergo atroci morborum genere, dum, juſſu Gratioſi Medicorum Ordinis, diſceptare publicè animus eſt, ſupplex ante omnia Numen veneror Celſisſimum, ut benè illud feliciterqve cedere jubeat.

§. 1.

INflammatio ab *inflammare* ſeu *incendere* dicta accipitur hic *non in ſenſu rigoroſo* atqve *phyſico*, qvatenus arctisſimam erumpentium particularum ♀rearum in ſubſtantiam lucidam combinationem ſignificat ſed *medico* pro denſiori tantum earum, licet non in luculentam flammam, agglomeratione ſeu nimiâ partis incaleſcentiâ; rurſumqve *non latisſimè* pro φλεγμονῇ generaliter ſic dictâ, qvâ de in proximè ſeqventi §. neqve *ſtrictè*, pro externa ſolum, ſed *latè*, qvatenus præter externam internam etiam inflammationem, utramqve tamen puram notat.

§. 2. Dicitur aliô, eôqve Græcô, nomine φλεγμονή, ſtrictè tamen, ut *B. Sennertus* monet, φλεγμονῆς acceptô vocabulô, cum Hippocrati cunctisqve ante Eraſiſtratum Medicis vox φλεγμονή latiori ſignificatu omnes φλογώσεις, ſ. omnem præternaturaliter auctum denotârit calorem, licet is neqve affluentem haberet materiam, neqve cum tumore eſſet conjunctus. Donata poſtmodùm iſta vox à Medicis Latiis civitate latinâ, & Inflammatio Phlegmone latinô etiam vocabulo nuncupata, unde qvoqve Phlegmones freqventiùs ac inflammationis verbum in ſcriptis illorum (maximè qvi proximè elapſo ſeculo inclaruere) occurrere animadvertes. Nonnullis & φλέγματος, φλεγμασίας φλεγμάνσεως nec non generali φλογώσεως nomi-

nomine Inflammationem insignire placet. Germanis Eine Entzündung/ hitzige oder entzündete Geschwulst audit.

§. 3. DEFINITUR qvod sit *tumor cum calore, rubore, dolore atqve renitentia, à sangvinis stagnantis præternaturali & ipsis partibus carnosis communicatâ Effervescentiâ ortum ducens.*

§. 4. *Tumorem* GENERIS loco statuimus atqve asserimus Inflammationem. Dum enim partibus nova utplurimum substantia, sangvis nempè copiosior s. in vasis s. extra eadem stagnans accedit & is effervescens qvaqvaversum sese expandendo amplius affectat spatium, adeoqve spumosâ suâ turgescentia proximè ad natam carnem (perinde ut fermentans massa farinacea stragulum impositum) attollit, non potest non partium naturalis alioqvin dimensio augeri, nosterq; morbꝰ tumoris specie sese in conspectũ dare. Meritò itaqve inter morbos *magnitudinis auctæ* numerandus erit, qvamvis eundem qvoqve ratione caloris præternaturalis ad intemperiei morbos referre liceat.

§. 5. DIFFERENTIAM *adjuncta s. symptomata potiora, subjectum* itemqve *causa efficiens* absolvunt.

§. 6. Primum inter ADJUNCTA locum occupat *Calor*, per qvem non intelligimus lenem qvendam ac blandum, sed fortem, acrem, qvin & urentem sæpius atqve ipsum febrium ardentium mordacem exuperantem ardorem. Oritur autem is à particularum oleosarum (tum sangvinis, tum ipsarum etiam partium) maximè rarefactarum densiusqve invicem agglomeratarum motu concitatori atqve fortiori.

§. 7. Nimius hic partium oleosarum motus duplicis videtur esse generis: Alius enim pugnantium est particularum; alius erumpentium s. secedentium. Ille intestinus magis atqve intrinsecus; hic extrinsecꝰ magis: Ille in effervescentia conspicuus, ubi pugna & conflictus ⊕trosarum acidarumqve cum alcalicis vol. s. biliosis, itemqve Urinosarum cum oleosis, qvæ has rarefaciendo sese à viscosi ♀ris dominio liberare tentant: hic extra Effervescentiam, eamqve partim præcedit, cum scil. sangvine stagnante qvidem nondum tamen effervescente mox confertim erumpunt ♎tuosa corpuscula: partim etiam seqvitur, dum ♀reæ istæ particulæ in Effervescentia ab ⊕trosarum acidarumqve, qvo

premebantur, jugo liberatæ, nimisqve poſtea rarefactæ liberè nunc egrediuntur, amicabili conſortio ſe jungunt, atqve in auras abeunt.

§. 8. Expanduntur verò atqve explicantur particulæ oleoſæ ſ:🜍reæ non à 🜔le acido ſangvinis vel fermenti; illud enim obtundit potius, figit atqve pervertit 🜍ra, uti vulgari experimento Roſarum rubor à Gas 🜍ris acido mutatur in alborem, & ſangvinis color purpureus ſæpius ob acidum, 🜔 & 🜍. ejus vol. deprimens, in atrum tranſit: ſed à 🜔le alcalino (oleoſa enim vel rancida etiam alcalinis rectificari ac ſubtiliſari notum, eoqve volatili utplurimum, qvale qvid in ſangvine ſub bilioſi nomine reperire licet, cui tamen calor & motus auxiliatrices manus pro virili porrigunt.

§. 9. Facile hinc & *Ruboris* generatio atqve natura explicari poterunt. Proficiſcitur enim ille non tam à ſangvine in poros partium effuſo, aut ſub cuticula & membranis ſtagnante atq; per easdem tranſparente, qvæ erronea Veterum opinio eſt, cum is diutius ſubſiſtens lividum & violaceum magis, qvam rubeum referat colorem: Qvàm qvod 🜔lia iſta alcalica & Ur:noſa (ut modò oſtenſum partim in effervescentia, partim hâc ſoluta oleoſam licet ſangvinis etiam, cumprimis tamen carnoſarum partium ſubſtantiam aggrediuntur, eandem exaltant, atqve accedente præſertim calore ac motu, hôc pactô in ruborem vertunt: velati facili negotio 🜍 vel flores 🜍ris cum 🜔le 🜿ri vol. l fixo digeſti exaltantur, & omnia olea, cum qvovis alcalino digeſta tinguntur in ejusmodi colorem rubrum.

§. 10. Atqve iſte Inflammationis rubor eousqve ſuum retinet colorem, usqve dum Inflammatio vel diſcutiatur (feliciſſimo optimoqve ejusdem eventu) vel in aliud morbi genus, Apoſtema nempe ſ. Ulcus, Gangrænam, Scirrhum & ſimilia tranſeat; tunc enim vel ſenſim naturalis ſuus parti redit color, vel in albicantem, aut lividum atqve nigricantem, aut alium qvendam inconſvetum legiqve naturæ contrarium vertitur colorem

§. 11. Ruborem in definitione noſtra excipit *Dolor*, qvi non unius ejusdemqve ſemper in Inflammatione deprehenditur generis: Modo enim *Acutus* perſentitur, ut in ventriculi, Inteſtino-

norum, maximè verò in Pleuræ Inflammatione: modo *Obtusus*, veluti in Peripneumonia; modo *Tensivus*, ut in Uteri aliarumq; partium, præsertim externarum, phlegmone; modo *Gravativus*, seu in hepatis: modo *Pulsans*, ut in Lienis, &c. inflammatione.

§. 12. Diversitatis hujus ratio pendet tum ex diverso caussarum continuum solventium agendi modo; tum ex diversâ inflammatarum partium naturâ atqve constitutione. Si enim acres acutæqve ⊖lium particulæ membranosas partes pungant, vulnerent, rodantve, *Acutus*: si sangvis effervescens latiùs sese explicando fibras partium expandat, earumqve continuitatem distendendo solvere tentet, *Tensivus*: si affluens sangvis ob denegatum à sangvine stagnante progressum, arteriarum tunicas pulsu fortiori dilatet nimium atqve distendat, *Pulsans*: si sangvis copiâ moleq; sua partem affectam premat, *Gravativus* affligit dolor. Cum pungentia ⊖lium spicula à glutinosâ pituita vel partibus adnatâ pingvedine obviscantur atqve obtunduntur, *Obtusus* magis molestat dolor. Idem doloris genus premet, si glandulosæ, carnosæve aut pingviores partes inflammatione urgeantur, sint nisi partes istæ copiosis dotatæ nervis, unde Testiculorum inflammatio acutum semper conjunctum habebit dolorem

§. 13. Superest alia qvædam Doloris, & nominatim Pulsantis species, diversa plane ab illa cujus modo injecimus mentionem. Qvæ & si inflammationem haud comitari, sed seqvi potius atqve cum ad suppurationem tendit molesta esse soleat; ob aliqvalem tamen cum illa affinitatem non adeo inepte huc referri meretur. Veteres ex eâdem qvâ superior, causâ oriri hanc opinantur; ast accuratius multò à fortiori eo tempore sangvinis ebullitione deduci posse suspicor, qvatenus nempe hic in bullas assurgens, bullarum formatione atqve subitaneâ rursus earundem evanescentiâ pulsum imitari doloremqve excitare valet.

§. 14. Agmen inter Adjuncta claudit *Renitentia* s. inflammatæ partis Durities, ad qvam producendam licet plurimum conferre non negaverim, si coagulati sangvinis particulæ terrestriores fibrarum partiumve poris interponantur, impingantur, atqve rigidam hac ratione duramqve partem affectam reddant; verisimilius tamen eandem â sangvine effervescente gigni arbitror,

rror, dum scil. hic, ut supra monuimus, elatione atque turgescentia sua fibras adeo distendit atqve expandit, ut prementis digito non facile cedant magisve extendi sepatiantur.

§. 15. Lustratâ hôc pacto atqve examinatâ symptomatum horum naturâ, pergamus nunc ad SUBJECTUM, qvod duplex hîc occurrit: aliud enim est subjectum *morbi* s. qvod inflammatione afficitur: aliud subjectum *causæ morbificæ* s. qvod effervescit. Illud asseveramus esse partes carnosas; accepta tamen voce carnis non presfiùs pro musculosâ solum, sed latius, ut membranosas etiam glandulosasqve partes includat. Et qvamvis laxa nimis hæc alicui videri posset acceptio, Galeni tamen Summorumqve Virorum autoritate freti eandem eousqve retinere placet, usqve dum idoneum magis, ad inflammationis exprimendum subjectum suppeditabitur vocabulum.

§. 16. *Subjectum* causæ s. *effervescentiæ* inqvit definitio nostra esse primò sangvinem. Sangvis qvod sit, vel unica in medium productâ ratione confirmare atqve evincere supervacaneum plane duco, illud enim inficias ire nemo hactenus, qvantum ego qvidem novi, ausus fuit. Hoc tantum meritò hic disqvisitione dignum videtur: Sitne ille semper & unicè subjectum causæ, nec ne?

§. 17. Utrumqve post *Mercatum aliosqve* novisfimè pernegare conatus est *Sylvius*, statuens à lactis etiam effervescentia vitiosa inflammationem (maximè mammarum) oriri posse, hac potisfimum persvasus ratione, qvod è lacte subsistente vel coagulato, æqve ac de sangvine dictum, avolantibus partibus magis 🜄tuosis acrimoniam majorem nanciscantur partes acidæ & mox cum ⊖linis effervescentiam potentiorem excitent, eamqve minimè frigidam, sed, ob præsentes partes butyrosas ac pingves, calidam.

§. 18. Ast ut ea, qvæ ad *Mercati* infringendam sententiam *Sennertus* habet, prolixiùs huc non accersam, videtur *Sylvius* doctisfimus subjectum causæ remotæ confundere cum subjecto causæ proximæ. Facilè largior posse Lac stagnans, acescens atqve effervescens parere Inflammationem, verum non proximè aut immediatè, sed remotè, mediatè & tunc demum, cum vel ipsa lactis

ctis effervescentia, vel acidum solum ejus stagnantis ceu fermentum communicatur sangvini, huncq; in coagulum abire, stagnare atqve effervescere cogit.

§. 19. Lac certe si non plane nullis paucissimis tamen gaudet ꝑritib9, & non solum particulas oleosas, ut alb9 ejusdem testatur color, minus expansas, sed ab aqvosis potius acidisqve depressas adhuc, verum etiam cuncta principia activa, secus ac sangvis, diffusa magis & multo sero eoqve acidiusculo diluta habet, qvæ idcirco se invicem prehendere, arctiùs atterere, adeoqve calidam ejusmodi, acrem fortemqve, qvalis hæc nostra est, effervescentiam excitare haudqvaqvam valent.

§. 20. Nos verò & si sangvinem perpetuo ut inhæsivum causæ subjectum accusandum esse statuamus, eundem tamen unice effervescere est qvod negamus, hincqve porrò definitio nostra ad causæ subjectum refert qvoqve partes carnosas, inqviens hanc sangvinis stagnantis effervescentiam etiam partibus carnosis communicari.

§. 21. Ipsas partes carnosas effervescentiæ simul asserimus subjectum, tum qvia solus sangvinis affluxus aut ejusdem stagnantis Effervescentia inflammationem non parit, ceu ex causarum examine inferiùs liqvet; tum qvia inflammatæ partis rubor plus satis de principiorum activorum motu in partibus carnosis testatur, vid. §. 8. & 9.

§. 22. Illud adhuc circa sangvinem monendum, reqviri, si aptum causæ subjectum esse debet, ut is stagnet, alioqvin ista sangvinis Effervescētia communicari partib9 carnosis commodè non poterit. Cave modo ne sangvinem stagnantem cum concreto s. coagulatô confundas; Hic enim in grumos abiit, atqve ad motum prorſ9 ineptus; Ille verò fluxilis qvandoq; & sine grumis.

§. 23. Stagnat verò sangvis nunc in vasis suis, nunc effunditur ex iisdem atqve extra ipsa in locô præternaturali subsistit.

§. 24. Cum in Vasis suis subsistit, utplurimum eqvidem minutissima illa s. capillaria sunt, utpote ad hoc morbi genus promptissima pariter atqve aptissima: Qvandoqve tamen & majora, ut in qvadam hepatis inflammatione, qvin etiam maxima interdum hic accusanda veniunt, præsertim si à causâ externâ, ut ligaturâ, compressione, &c. vasorum contingat.

§. 25. Ad minutisſima illa ſangvinis vaſa jure meritoqve referimus qvoqve tubulatam fibrarum ſubſtantiam, per qvam ex arteriis ſangvinem in venas remeare ſtatuimus. Dum enim incertus admodum, dubius, neqve demonſtratus ſatis hactenùs immediatus ille ſangvinis ex arteriis per oſcula vaſorum capillarium in venas regreſſus, appoſitè magis cum Excell. Dn. D. PRÆSIDE fiſtulatam & tubuli ad inſtar cavatam fibrarum aſſerimus ſubſtantiam, qva mediante ſangvis ex arteriis in venas iterum deferatur.

§. 26. Si è naturali ſuo in præternaturalem ſangvis labatur locum, ibidemqve inflammationis cauſæ vicem ſubeat, tùnc vel in poroſâ, vel ſinuoſâ partium ſubſtantiâ, vel in aliâ qvâdam ſ. corporis ſ. partis cavitate ſubſiſtit.

§. 27. Dico aliâ qvadam cavitate ſubſiſtit. Etſi enim *Sylvius* aliiqve poroſam ſolum ſubſtantiam partium harumqve interſtitia receptivum ſangvinis ſtagnantis in Inflammatione defendant ſubjectum, tamen haud video, cur etiam cavitati aliæ id denegandum, cum notum ſit, ſæpius à ſangvine ſub cavitatem Cranii in vulneribus effuſo cerebri oriri inflammationem, item Inteſtinorum aliarumve partium, qvibꝰ è vulnere, contuſione, lapſu aut à gravi oneris ſublevatione vena rupta atqve ſangvis in abdominis vel thoracis cavitatem effuſus eſt.

§. 28. Progredior tandem in declaranda definitione noſtra ad CAUSAM IMMEDIATAM PROXIMAM. Qvâ dum ſcrutari molior, verisſimum experior illud, de qvo olim jam cum Galeno conqveſtus eſt *Sennertus*, nempe, *eam non modo non multitudini hominum, ſed ne ipſis Medicis omnibus cognitam eſſe*. Tanta enim hic ſententiarum varietas, tanta opinionum congeries, ut ex iisdem ſeſe extricare, ferè Ariadnæo filo ſit opus, & nulla tamen earum, exactiùs ponderata, genuinum inflammationis ortum accurate ſatis videtur depingere, ceu mox ex ipſarum penſitatione elucefcet.

§. 29. Ac primò qvidem illos mirari ſatis neqveo, qvi cauſam inflammationis proximam autumant eſſe *Effluxum ſangvinis* in poroſam atqve cavernoſam partium ſubſtantiam. Aut enim Effluxus idem eſt qvod affluxus (ſi qvidem hæc in qvibusdam In-

flam-

Inflammationibus æqvipollere non diffiteor) id qvod suo (§. 34. de Affluxu & seqq.) dijudicandum relinqvimus loco: Aut distingvunt Effluxum ab Affluxu, perqve illum indigitant non nisi nudam sangvinis è vasis suis in determinatum locum effusionem, qvæ Inflammationem producere nullo modo valet.

§. 30. Qvi fit enim qvæso; qvod in Hæmoptysi, ὑποφράγματε, in ὑπωπίῳ & omni fere Ecchymomate rarius observetur Inflammatio, cum tamen semper adsit ibidem sangvinis in prædicta spatia effluxus? Qvi fit, qvod Anevrisma non comitetur Inflammatio, cum tamen & in illo sangvis intra tunicas s. ipsa substantia arteriarum effundatur? Hoc certe alienum planè à natura veræ causæ proximæ, qva præsente alioqvin necessariò atqve infallibiliter seqvitur effectus.

§. 31. Sicut igitur Effluxus hujusmodi interdum est sine inflammatione: ita vicissim Inflammatio qvædam est sine effluxu isto, qvod itidem prorsus à causæ proximæ conditione abhorret. *E.* g. Sit puerpera, qvæ Lochiorum patitur fluxum, exponat se parum cauta aëri frigido, seqvitur hinc Lochiorum retentio & ipsa uteri inflammatio. Ista Lochiorum suppressio hancqve seqvens, incendium eam præcipuè ob causam oritur, qvod aër in uterum admissus frigiditate suâ constringat & occludat orificia vasorum uteri, qvæ intra tunicas feruntur ibidemqve terminantur. Qvis ergo crederet aut asseverare vellet, istam Inflammationem ab Effluxu sangvinis excitatam? Sanè à prohibito potiùs ejusdem Effluxu procreatam nemo non videt.

§. 32. Sunt porrò qvi morbi nostri causam proximam asserunt *Affluxum sangvinis*, hiqve rursum in diversas abeunt sententias. Alii non tam Affluxum s. motum sangvinis externum, qvam *ipsum sangvinem* s. rectius *ejus qvantitatem* respiciunt putantes necessum esse, ut affluxus iste ἀθρόως confertimqve, h. e. magnâ copiâ, magnâ qvantitate allabatur sangvis: Alii contra potiùs ab *Affluxu s. externo motu sangvinis* qvam ejusdem qvantitate Inflammationem proximè derivant, dicunt namqve inflammationem non per paulatim factam congestionem, sed per subitum Affluxum generari: Alii deniqve *utrumqve*, scil. & *ipsum sangvinem & motum hujus* reqvirunt, dum haud prius inflammatio-

nem excitari opinantur, anteqvam ſangvis copioſior ſubitò affluat.

§. 33. Sed ut ab his ordiar (ſic enim qvid de prioribus ſentiendum facilius patebit) qvid ſi daretur Inflammatio, ubi non modo non copioſior ſangvis, ſed ne Affluxus qvidem ejus, imò qvæ ex defectu potius ſangvinis affluentis, qvam copia ejus oriatur? Pono caſum, oriri fracti pedis Inflammationem ex indecenti, ut toto die contingit, ligaturâ, vel excitari Inteſtinorum prolapſorum Phlegmonem ex herniâ incarcerata, aut, qvam mihi nunc potisſimum explicandam ſumo, brachii, qvod ad ſiſtendam vulneris hæmorrhagiam arctisſimo vinculo conſtrinxerat Chirurgus (Vid. *Walæus* de Motu Sangv.) Fuiſſe hic Inflammationem neqve verò à copioſiori ac celeriori, ſed minori ac tardioti affluxu probat partim pulſus, qvi in brachio arctiùs ligato aliqvando minor eſt, aliqvando penitus intermittir, partim vulneris hæmorrhagia ex defectu ſangvinis allabentis ceſſans.

§. 34. Sponte ergò hâc ratione atqve fundamento utrorumqve illorum ruit opinio, & qvi ſangvinis qvantitatem magis qvā motum, & qvi fluxum potius qvam copiam ſangvinis pro immediata atqve proxima inflammationis cauſa venditant. Si enim & uberior ſangvis & citatior affluxus cauſæ proximæ vicem ſupplere haud poſſunt, multo minùs vel ſola ejusdem qvantitas, vel affluxus unicè id præſtare valebit.

§. 35. Deveniendum nunc ad illorum ſententiam, *qvi à ſangvinis ſtagnantis motu inteſtino* Inflammationis originem deducere conantur. Addicti huic ſententiæ ſunt Veterum qvamplurimi atqve hos inter cumprimis *Fernelius*, una cum illis ſtatuens, inde excitari partium phlegmonem, qvod ſangvis per vaſorum oſcula, perqve tunicarum eorundem meatus effuſus putreſcit atqve incaleſcit, adeoqve illi *putredinem* pro cauſa proxima habent.

§. 36. Favent & huic circa motum internum ſententiæ tum Fermentationis Patroni pleriqve, tum *Kergerus* maximè, qvi inflammationem *à fermentatione* arceſſere non dubitat, eò, qvia tumor, dolor ac febris in Inflammatione (præſertim internâ) præſentem ſangvinis fermentationem ſatis arguant. Curationem

qvo-

qvoqve inflammationis ex iis, qvæ fermentationem impediendi vim habent, instituendam svadet.

§. 37. Hæ sententiæ verò cum illi de Effervescentia, mox proponendæ, admodum sint affines, omnisqve putrefactio non nisi fermentationis ope ac via contingat; fermentatio autem ab Effervescentia gradu solum differat, in ea examinanda prolixam operam hoc loco navare nolumus, qvam infirmo enim stent talo §. 39. & 40. ostendet.

§. 38. Propiùs ad causæ proximæ naturam accedere videtur *Sylvius*, qvi *Effervescentiam* inflammationis causam asserit, statuens è sangvine stagnante mox evanescere partes magis ♎tuosas magisqve volatiles ac subtiles, tum acidas tum ⊖linas temperare solitas, unde utrasqve acriores factas in se mutuo insurgere, Effervescentiam ob præsentes sangvinis Oleosas calidam excitare, atqve ab hac Inflammationem fieri.

§. 39. Verum enimverò utut hæc omnia speciosè admodùm à Viro acutissimo sint proposita, atqve dari ejusmodi sangvinis stagnantis Effervescentiam in omni Inflammatione fatendum omninò sit, causæ tamen proximæ naturam penitus neqvaqvam exhaurit atqve absolvit. Qvoties enim qvæsò effervescit stagnans in partium substantiâ sangvis & qvidem eô, qvem *Sylvius* describit, modô, ubi tamen nihil minus qvàm Inflammatio. Exempli loco ut febres, (in qvibus sangvis effervescens corallii modo fruticans & medullæ sambucinæ instar observatus) aliaqve taceam, sint nobis morbilli, petechiæ, &c. qvas ex sangvine effervescentis parte tenuiore in cute effuso, ibidemqve stagnante gigni, alibi demonstravimus; at qvalis ibidem Inflammatio? nulla certè, ceu tumoris, doloris &c. absentia evincit.

§. 40. Clariùs paulò id ipsum exemplo sangvinis extravasati in sugillatione patet. Est certè in hâc sangvis stagnans, dum è vasis suis ruptis aut contusis excidit. Est hîc secessus partium ♎tuosarum magisqve volatilium ac subtilium, unde hîc sangvis meritò cruoris nomine venit. Est hîc Effervescentia (eaqve calida procul dubio ob præsentes partes oleosas) tum qvia acidæ hujus sangvinis particulæ pugnam cum ⊖linis alcalicis

ineunt, easdem deprimunt, ſangvinem figunt ac in grumos vertunt, tum qvia ſangvinem putreſcere adeoqve efferveſcere indubitanter Color antea rubeus nunclividus loqvitur: & nulla tamen ſemper hîc notanda inflammatio. Qvare qvô poſito non ſtatim ponitur inflammatio, illud inſufficiens prorſus ad inflammationem proximè producendam. Jam verò poſitâ Efferveſcentiâ ſangvinis ſtagnantis ad mentem Sylvii non ſtatim ponitur inflammatio. E. Illa Efferveſcentia inſufficiens prorſus ad inflammationem proxime producendam.

§. 41. Meliori hinc atqve tutiori via me inceſſurum confido, ſi aſſeruero, tunc demum oriri inflammationem hancqve ſuam nanciſci denominationem, qvando præternaturalis illa in ſangvine ſtagnante inchoata Efferveſcentia ipſis partibus carnoſis communicatur, harumqve principia activa ad ſimilem motum invitat.

§. 42. *Præternaturalem* hanc ſangvinis ſtagnantis dicimus Efferveſcentiam, ut eandem diſtingvamus à non naturali. Duplex enim in omni fere ſubſiſtente ſangvine obſervanda atqve notanda venit Efferveſcentia; *Præternaturalis* altera, cum ſcil. ut ex *Sylvio* modo oſtenſum, in hoc diſcedentibus partibus ♎tuoſis, mox acidæ inſurgunt pugnamqve cum bilioſis ſubeunt, qvæ propriè hujus loci: Altera *Nonnaturalis*, qvando nim. acidum illud in ſangvine ſtagnante exuperans atqve ferociens novâ atqve contrariâ illi per ♎tuoſa urinoſa, alcalia, terreaqve excitatâ Efferveſcentiâ deprimitur rurſus atqve coercetur, hæcqve ad curationem magis ſpectat.

§. 43. Præmitti E. atqve præcedere hæc ſangvinis Efferveſcentiâ debet. Hæc verò qva ratione contingat, qvove modo peragatur, pasſim & §. 39. 40. & 45. cumprimis è Sylvio abundè me determinaſſe arbitror. Reſtat modo ut qvid per communicari partibus carnoſis intelligam, aut qvo pacto iſta in partes carnoſas tranſire qveat, ſufficienter explicem.

§. 44. Notandum proinde, partes carnoſas ex heterogeneis combinatas eſſe principiis. Nutriuntur enim ſangvine ſeu ſucco alibi, qvi & ipſe ex diverſis, ♎tuoſis ſcil. Urinoſis, ⊕troſis, acidis, &c. conflatus eſt particulis, atq; cum in poros partium gelati-

næ

næ instar excidit, à leni acido in substantiam partium coagulatur; acidum autem illud oleositate sua temperant ♎tus, ne plus, ac par est, emineat. Hinc si particulæ alcalinæ vol, è sangvine stagnante egressæ, arctiùs se adsocient & adhæreant membris carnosis primo ♎tus ad abitum & fugam stimulant; postea ablato moderatore acidum ultra modum evehitur, renitentibus tamen ⊖libus lixiviosis, qvæ ad motum intestinum concitata acido prædominanti se fortiter opponunt, &, prout ipsorum fert natura, pugnam tum cum acido prædicto, tum etiam cum particulis Oleosis (ad §. 8. & 9. descriptum modum) decertant pugnantqve.

§. 45. Effervescit autem sangvis & conseqventer pars carnosa jam *proprio* atqve *spontaneo motu*, jam *à fermento qvodam extraneo seu peregrino* ad effervescendum compellitur. Uterqve motus initium capit vel *in ipsa parte affecta* vel *aliubi seu extra partem affectam* & jam effervescens ad hanc per *ῥεῦμα ὁρμώμενον* defertur ibidemqve modo explicato inflammationem parit.

§. 46. *Sponte in ipsa parte affectâ* effervescit sangvis si stagnet, tunc temporis enim Sylvii ex mente mox evanescere incipiunt ♎tuosæ partes Urinositate & volatili suâ alcalicâ potestate acidas, Oleositate vero & ♎tuositate alcalinarum volatilium acrimoniam, qvin & volatilitatem earundem coërcere atqve temperare solitæ. Hinc acidæ, ob ♎tuosarum abitum liberiores magis atqve sui juris ex parte redditæ, insurgunt, bellumq; intestinum alcalicis seu biliosis indicunt ac inferunt.

§. 47. *Stagnat* sangvis atqve ab ordinario suo in circulum motu cessat nunc ac præcipuè qvia *coagulatur*, nunc ob *Plethoram summam & ad vasa dictam*, nunc ob *vasorum angustiam*, nunc *qvia è vasis suis apertis funditur*, atqve à circulationis tramite in devia aberrat.

§. 48. *Coagulatur* sangvis & *concrescit* modo à *frigido* ut aêre, aqva, &c. modo ab *adstringente* atqve *austero*, modo ab *acido* eoqve vel *domestico* seu *proprio*, vel *peregrino* seu *alieno*.

§. 49. Ob *Plethoram summam* subsistere cogitur sangvis qvod tunc à copiâ moleqve hujus ita vasorum distenduntur fibræ, ut aptè & concinnè sese constringere, motumqve in Corde inchoa-

inchoatum feliciter ac modo decenti abſolvere neqveunt, unde poſtea ille hoſpitari in aliqva parte neceſſe habet.

§. 50. Plethoræ annumero *iſtam ſangvinis abundantis ſpeciem*, ad differentiam univerſalis iſtius particularem plethoram non inepte appellandam, qvando ſcil. ſ. ob dolorem ſ. qvamcunqve demum ob cauſam copioſius & plus æqvo ſangvis per arterias allabitur partibus, cui poſtmodum excipiendo atqve revehendo Venæ non ſufficiunt, qvare is diutiùs ſolito, maxime qvoad portionem ſuperfluam,in parte hærere cogitur.

§. 51. *Anguſtantur* Vaſa ab earundem aut *obſtructione* aut *compresſione*, aut *conſtrictione*.

§. 52. *Obſtructio* voſorum rarisſimè à calculo, freqventiùs paulò à coagulato in ipſis ſangvine, freqventisſimè ab humoribus cacochymicis glutinoſis, viſcoſis, ♀reis & ſimilibus contingit.

§. 53. *Comprimuntur* vaſa jam à tumoribus vicinis, jam ab oſſe luxato, unde Anginam à Vertebræ luxatione oriundam vidit *Duretus*, jam ab aliâ qvâdam re, fiſtuloſam vaſorum cavitatem comprimente atqve ſangvinis tranſitum inhibente, veluti ab arctiori thoracis ſtructura mammarum inflammationem in juvencula annotavit *Timæus*.

§. 54. *Conſtringit* Vaſa primo qvidem aër (tum qvoad frigidatem, tùm qvoad aciditatem particularum qvibus ſæpiùs refertus) deinde adſtringentia, acerba, auſtera, acida, aliaqve. Vincula etiam id præſtare exempla ſuperiùs adducta probant.

§. 55. *Apertio* Vaſorum qvot modis & qvibus ex cauſis accidat, ad nauſeam uſqve tradidere Practici, qvare illas hîc recenſere nolo. Notetur ſaltem communisſimè ab ebulliente ſangvine illa recludi, qvi ὀργασμῷ ſuo tunicas vaſorum diſtendit, atqve acrimoniâ conjunctâ meatus ac orificia ipſorum findit qvaſi.

§. 56. Qvando *in ipſâ parte affectâ* ſangvis *à fermento qvodam peregrino* ad effervefcendum compellitur, fermentum eſt de natura ⊖lium vel *lixivioſorum*, vel *acidorum*, vel *enixorum* ſeu *ex his mixtorum*.

§. 57. Pri-

§. 57. *Primi generis* fermentum occurrit in inflammatione ab iratorum animalium punctura. In hac enim instillatur parti afflictæ bilis, qvæ irâ exagitata atqve motu volatilior multum reddita per totum corpus diffusa erat. Bilem autem copioso gaudere ⊖le lixivioso eoqve volatili moderni, chymicâ experientia confirmati, unanimiter affirmant.

§. 58. *Secundi generis* observatur in mammarum, à lacte retento & coagulato, inflammatione. Lac enim qvoties, ut vel rusticis notum, diutiùs paulò immotum perstat, toties acescit, unde si sangvini præsertim bilioso seu particulis alcalicis vol. referto communicatur, eundem acido suo turbare, atqve ad inchoandam Effervescentiam concitare valde potis est.

§. 59. Ejusdem utplurimum originis est Hæmorrhoidum inflammatio. Notum namqve, rejici per venas hæmorrhoidales sangvinem fœculentum, fixum, acidum; Qvare cum is aciditate sua nutritii sangvinis ♎tuosiores ac volatiliores partes seu fugat seu deprimit, & acidas ejus reluctantibus alcalicis effert, qvid aliud inde, nisi inflammatio, sperandum?

§. 60. Refero & huc omnes inflammationes, qvæ vulneribus per se accidere ac supervenire solent, nam & eæ ex acido, qvod & coagulatum & allabentem sangvinem ad effervescendum animat, surgunt. In omni enim vulnere, juxta Helmontium, labia à balsamica sua temperie ad putredinem, ceu ex puris generatione patet, vergunt. Corruptio autem ista individuum semper socium habet Acorem, qvod testantur tum belluarum carnes, qvæ qvamprimum corrumpi incipiunt, jusculum dant acidum, tum qvoqve juvantia, qvæ occultum alcali, & qvidem volatile, in se continere debent.

§. 61. *Enixum* seu *medium fermentum* notare licet in inflammationibus ab iratorum animalium morsu. Mordendo enim communicatur simul vulneri saliva, constans partim ⊖le acido, qvod proprium ipsi ac domesticum in statu naturali est; partim lixivioso seu bilioso, dum enim in ira bilis cum impetu ad exteriores partes ruit atqve per totum corpus diffunditur non potest non lymphæ, imò ipsi salivæ admisceri atqve fermentum ejusmodi mixtum constituere.

§. 62. Cum alibi atqve extra partem affectam inchoatur Effervescentia & hinc in sangvine, cum impetu ad partem istam ruente ibidemqve subsistente, continuatur, sangvis itidem vel sponte effervescit, vel à fermento peregrino ad effervescendum compellitur.

§. 63. Sponte effervescit sangvis si inæqvalis inordinatusqve M. Seæ sit status, ita ut partes ≏tuosæ & biliosæ seu urinosæ cum acidis probe se invicem & qvantitate & qvalitate non temperent, sed alterutræ harum, scil. vel Urinosæ vel acidæ nimium emineant atqve prædominent. Tunc enim vel levi aliqva causa externa adjutæ particulæ excedentes absqve fermenti ope insurgunt, cæterasqve ad motum hunc atqve pugnam stimulant, veluti videmus illos, qvorum M. Seæ biliosior est status (f. in qvibus particulæ 🜍reæ & ⊖linæ alcal. sunt intensæ, nec à serosis & blandis roscidis temperatæ) qvam facillimè & vel sola ira aut terrore accedente Erysipelate tentari.

§. 64. Spectant hâc ratione huc omnia ea, qvæcunqve vel ad alcalinas evehendas acidasqve deprimendas, vel ad acidas exaltandas biliosásqve subjugandas symbolum conferre possunt. Et sunt ex illorum classe aer calidus nimis atqve siccus, cibi multum aromatici seu ⊖le vol. præsertim oleoso pollentes, vina generosiora, motus corporis freqventior, vigiliæ, ira, sylvestrium fuliginum retentio, aliaqve. Hujus verò generis sunt, cibi fixiores & multo ⊖le acetoso referti, potus minùs ≏tuosus, inspiratio aëris particulis acidis scatentis, motus corporis neglectus, mœror, tristitia & similia.

§. 65. Si fermenti culpa sangvis in motum istum rapitur, fermentum est rursus de genere ⊖lium vel alcalinorum, vel acidorum, vel mediorum seu mixtorum.

§. 66. Ut *fermentum alcalinum* præcipuo atqve principe loco hic accuso bilem, eamqve triplici potissimum nomine: primo qvidem qvatenus copia, deinde qvatenus volatilitate, ac tandem qvatenus lixiviositate nimia, sive (ut Sylvio, licet parum accuratè, dicitur) acrimonia peccat. Qvid bilem augeat & volatiliorem reddat, è præc. §. 64. colligere licet, lixiviosiorem autem efficiunt calor, nec non defectus partium oleosarum

&

& viſcoſiorum acrimoniam ejus obtundentium, itemqve defe-ctus partium ▽ſarum ⊖lis lixivioſi acrimoniam temperantium ac diluentium.

§. 67. Succedunt bili illa ⊖lia Urinoſa vol., qvæ naturaliter alioqvin in Renum Oeconomia ſecernuntur, qvandoqve verò ſive ob acidi coagulantis defectum, ſive ob arctiorem M. Seæ adhæſionem, ſive ob renum imbecillitatem aut obſtructionem non ritè ſegregantur à M. S.; qvantas enim qvæſo turbas iſta in hâc excitare non valent? Et qvamvis, prout ego qvidem novi, penitus ferè etiam Recentiores hac de re ſileant, certus tamen ſum, febrium & has comitantium inflammationum culpam in læſam ⊖lium iſtorum ſecretionem ſæpisſime ac magis qvam in bilem eſſe transferendam.

§. 68. Inter inflammationes *acido fermento* ortum ſuum debentes, numero Phrenitides, Anginâs, Pleuritides, Peripnevmonias Puerperarum, qvæ ex Lochiis retentis proficiſcuntur, atqve harum exempla ab *Horſtio*, *Zacuto Luſ.*, *Timæo*, *Williſio* aliisqve recenſentur. Lochia enim ſunt nihil aliud, qvam ſangvis ignobilior, qvi partim ob ≏tuoſioris atqve nobilioris portionis in nutrimentum fœtûs abſumtionem, partim ob diuturniorem moram circa uterum prægnationis tempore Diatheſin nactus eſt acidiuſculam. Hinc ſi ſecundum naturæ leges haud excernatur, ſed aut penitus aut qvoad partem retineatur, atqve in M. Seam regurgitet, facile peregrinum motum inducere atqve ad cerebrum fauces, pulmones &c. detruſus has partes accendere valet.

§. 69. Merito qvoqve in acidorum Catalogo lymphæ, Glandularum fermento acidioris factæ, injicienda eſt mentio. Illam namqve febres excitare ingenioſè oſtendit Sylvius. Qvicqvid autem febres ſeu univerſalem M. Seæ Effervescentiam, illud multò magis inflammationem ſeu particularem ſangvinis effervescentiam producere aptum natum eſt.

§. 70. *A mixto fermento* fuit iſta pleuram inflammans Effervescentia, qvam in duobus febricitantibus à pororum in cute conſtrictione vidit *Williſius*. Nam cum occluduntur pori retinentur ⊖lia ſylveſtria, qvæ alioqvin in tranſpiratione in-

ſenſibili è corpore eliminantur. Illa verò & urinoſa, qvia ſerum in habitus reſolvunt; & acida etiam ob aliqvam ipſis inter ſecernendum glandularum ſubcutanearum fermenti adjectam partem, ceu id ipſum ex effluviorum iſtorum concentratorum ſeu ſudoris exemplo liqvet, qvem etſi Sylvius aliiqve inſipidum ſtatuant, tamen cum & in iis, qvibus maxime bilioſus eſt M.Sex. ſtatus, acidum ſpiret odorem & è facie in os defluens ⊖ſus deprehendatur, eundem ſemper talem idqve à glandularum fermento aſſerere non dubito.

§. 71. Ex eodem fonte promanarunt phrenitides illæ à largiori generoſioris Vini potu, apud *Horſtium* itemqve *Timæum*. Vinum enim ejuſmodi ⊖ medium ſeu ♀reum copioſiſſime in ſeſe continere, non niſi Chymiæ penitus prorſusqve ignarus negaverit.

§. 72. Et qvis tandem omnia ex animali, vegetabili & minerali regno fermenta atqve ab his oriundas Effervescentias inflammantes ſpeciatim hîc recenſere poterit, qvippe qvæ chartula hæc non capit. Sufficiat interim, ſaltim qvædam exempli cauſa hic adduxiſſe, qvò eò certiùs firmiùsqve de aſſerti noſtri veritate conſtare qveat.

§. 73. Cognitis nunc atqve traditis cauſis, DIFFERENTIÆ qvoqve breviter erunt ſubnectendæ. Itaqve ratione *ortûs* inflammatio eſt jam πρωτογενὴς ſeu primaria, qvæ nullum alium inſeqvitur affectum & ab eodem dependet: jam ἐπιγενὴς ſeu *conſectaria*, qvæ alium ſeqvitur affectum & ab ipſo dependet: hæcqve viciſſim jam *critica* jam *ſymptomatica*.

§. 74. Ratione *partis affectæ* alia eſt *Externa* alia *Interna*; alia *muſculoſas*, alia *glanduloſas*, ut Bubo, alia *membranoſas nervoſasqve partes afficit*, ut Phrenitis. &c. alia *oculos* occupat diciturqve Ophthalmia, alia *fauces*, & Angina audit, alia *Pulmones* & Peripnevmonia vocatur &c.

§. 75. Juxta cauſæ ſubjectum nonnulla eqvidem Inflammatio *vera* ſeu *pura* nec non exqviſita dicitur, qvæ ex ſolo ſangvine eoqve puro effervescente ortum ducit: nonnulla *notha* ſeu *ſpuria*, qvando una cum ſangvine alii humores ca-

cochy-

cochymici effervescunt : hanc tamen differentiam nostram haud facimus, cum non spuriam, sed puram nos intelligere jam superius in antecessum monitum.

§. 76. Respectu Causarum remotiorum qvædam est *à motu spontaneo*, qvædam *à fermento*, hincqve rursus qvædam est à *fermento lixivioso*, qvædam ab *acido*, qvædam ex his *medio* seu *mixto* : ac tandem qvædam à fermento *volatili*, qvædam à *fixo*, qvædam ex *his utrisqve* combinato.

§. 77. Qvoad *symptomata* atqve *accidentia* Inflammatio nunc est *cum febre* (symptomatica scil.) nunc *sine hac* : nunc *cum malignitate*, ut Anthrax, item ut plurimum etiam Anginæ, Peripnevmoniæ atqve Pleuritides Epidemiæ, nunc *sine hac*, ut furunculi &c.

§. 78. Differentias excipiunt SIGNA eaqve primo DIAGNOSTICA, qvibus in Inflammationis notitiam pervenire &, an præsens illa sit, addiscere possumus.

§. 79. Atqve externam qvidem dignoscere adeo difficile haud est, modo in definitione proposita symptomata conjunctim signi loco habeantur. Qvandocunqve enim ista occurrunt, de præsenti Inflammatione certò atqve indubiè concludere licet.

§. 80. Sic neqve in parte affectâ indagandâ multum reqviritur laboris; illa enim vel primô oculorum intuitu notari poterit.

§. 81. Interna tamen ut cognoscatur, res altioris est indaginis majorisqve industriæ. Nam neqve symptomata ista, rubor præsertim atqve retinentia, sensibus adeo in ea patent, neqve pars inflammata oculis objicitur. Tumor eqvidem tactu nonnunqvam deprehenditur, ut v. c. in ventriculi, intestinorum, lienis, epatis, vesicæ, uteri &c. inflammatione; verum id, ut dictum, nec semper & eô solum casu, cum musculis abdominis proxime adjacentia viscera & istâ parte, qva dictos musculos spectant, inflammatione tentantur.

§. 82. Hinc potissima Inflammationis Internæ signa e-

 runt

§. 93. *Figunt atqve coërcent* particulas effervescentes (1) *frigida* s. actu s. potentia talia. Uti enim calor particulas oleosas expandit & activiores exagitat atqve ad effervescentiam subeundam commovet: ita è contra frigus poros constringendo oleosarum expansionem impedit atqve activiorum motum sistit. Qvæ ratio etiam est, qvod res ad effervescendum repositæ faciliùs æstate ac ambiente calore, qvam hyeme & frigido loco effervescant. Et sunt ejusmodi frigida, *plantago lactuca*, *endiv. nymph. fl. viol. rosar.* ⦶*trum* (in Angina tantopere celebratum) atqve ex illis parata, ▽rosar, *nymphea*, *plantag.* &c. (2) *siccantia*, qvæ aqvosam humiditatem s. vehiculum ⊖lium, qvæ non nisi soluta agunt, absumunt, ut nec solvi nec fluctuare qveant, qvemadmodum viceversa juxta §. 124. Emollientia dum humiditatem sufficientem largiuntur, harum particularum motum promovent. Cavendum modò ne iisdem abutendo s. nimium exscando in Scirrhum vertatur Inflammatio (3) *acida* præsertim *fixa*, qvæ, præterqvam qvòd volatiles mobiles ac ☿riales partes figunt, ♀ etiam obtundunt, ne expandi atqve ab hoc ⊖lia vol. implicata liberari qveant, ut *acetosa*, *acetosella*, ✣*tum*, ♎*tu* ⊖*lis*, ♀*ris*, ⦶*li vulg.* ⦶*li philos. TRa papav. Rhæad*: ♎*ritu* ♀*ris facta ac ipsum butyrum* ♉*ii in* Anthracibus à *Sylvio* maxime laudatum. Imo referimus huc (4.) *Opiata* etiam, qvalia theriaca *Androm. diatess. mithrit. Diasc. Frac.* ▽ *theriacal.* ♎*rit9 theriac.* &c. Si en. febrilē s. universalem sangvinis Effervescentiam (Sylvio testante) felicissime compescere valent, qvidni & particularem, inflammationem producentem, effervescentiam reprimere poterunt, unde & Sylvius Mixturæ suæ ad Pleuræ, pulmonum, aliarumqve partium inflammatarum curationem non modo ▽m theriacalem, sed ipsum etiam laud. opiat. admiscet. Et qvis nescit, qvàm efficaciter theriaca, qvæ ab vesparum ictu est, restingvat inflammationem, ubi tamen ferocior, qvam in aliis effervescentia.

§. 94. *Præcipitant* particulas efferas (1) *acida* illasqve non alcalinas solum, sed acidas etiam, uti ex chymicis notum, acida ab alio acido s. fortiori s. debiliori ⩡ari posse. Et annumerantur illis succus ribium, berberum, & qvæ §. præc. n. 3. recensuimus (2) *terrea*, qvæ & particulas oleosas (à qvibus calor, simul im-

bibunt

bibunt, atqve acrimoniam ⊖lium utrorumqve unà absorbent, veluti sunt *bolus arm. terr. sigill. corallia*, *CC. ust. lap. 69* & antipleuritica pleraqve (3.) ▽*ea* diluentia, ut sunt ▽ *acetosæ, acetosellæ, frager. ros. &c.*

§: 95. *Ejiciunt* deniqve particulas tumultuantes *penitus è parte affecta* (1) potentissimè *Sudorifera s.* discutientia universalia, unde & *Sylvius* ait qvod Pleuritides unico sudorifero præsertim tempestivè adhibito absqve V. S. imò & Peripneumoniæ aliarumqve partium inflammationes sæpius felicissimè curatæ fuerint. Et non dubito potissimam curationis spem in iisdem ponere maxime si critica aut maligna externa fuerit inflammatio, ubi nec revulsio nec repulsio locum habent. Sudorifera autem volatilia sunt ⊖*ritg C. C.* ⊖*lis* ✱ *i, viperarum*, ♀*ri, horumqve* ⊖*lia*, *Tinctura bezoardic. &c.* Fixa v. *bolg arm, terra sigill. CC. Ebur ust. &c.* (2.) Discutientia, qvæ partim sangvinem tenuiorem in halitus insensiles resolvunt, partim crassiorem attenuant, fluxilemqve iterum, ut in vasa remeare qveat, reddunt E. gr. Chamæmelum, anethum, marrub. fl. sambuc. & ⦶trosa (3.) *Repellentia s. Adstringentia*, vi sua constrictiva fibras porosqve partium comprimentia ac contrahentia, ut ex iisdem una cum sangvine subsistente etiam particulæ effervescentes recedere cogantur, non secus ac ▽a è fungo marino, si manu comprimatur, effluere atqve è poris ejusdem exsilire cogitur. Et qvamvis Repellentia qvædam frigiditate magis qvam adstrictione repellere videantur, tamen qvi noverit, etiam aërem frigidum constringere poros, non facile negaverit frigida repellentia etiã constringendo poros suum exseqvi officium. Recenset eadem *Sennertus*, qvem videas.

§. 96. Possem hic seorsim atqve singulas particulas pugnantes pertractare, ac ostendere, qva ratione nunc in specie alcalicæ per viscosa, pingvia, acida, terrea, &c. oleosæ vero per acida, terrea, &c. ad tandem acidæ per ⊖tuosa, oleosa, volatilia, terrea, qvin acida etiam sint debellandæ atqve coërcendæ; verum cum illud ex superioribus non difficulter intelligi qveat, qvid opus est eadem hic repetere? potius causas remotiores, easqve urgentes maxime, ordine nunc lustremus, & qvale auxilium postulent, dispiciamus.

§. 97. Offert se hic primò stagnatio sangvinis, qvi si fluxilis adhuc ejusqve corruptionis expers, ut in vasa remeare qveat, repellentibus eqvidem, tutius tamen atqve commodissime Venæ sectione in motum reducitur, qvatenus scil venæ exinanitæ eo promptiùs avidiusqve illum, etiam in partium substantiam effusum, hauriunt atqve absorbent. Qvod si verò in grumos jam abierit, ad ea simul confugiendum, qvæ vel poros ejus (à frigido & austero constrictos) aperire rursus atqve dilatare, vel acidum coagulans infringere, vel si corruptionem aliqvam jam subierit eum penitus è corpore eliminare valent.

§. 98. Præstant hoc egregie ♎tuosa, nec non alcalia vol. ♎tus np. fulig. ⊖ fuliginis, uno verbo discutientia. Acidum vero concentrans enervant ♎tuosa & Urinosa jam tacta, it oleosa ut myrrha, sperma ceti, mumia nec non alcalia fixa, ⊖ cardui ben. chærefol. pimpinell. &c. ac tandem terrea lap. 69. bol. arm. terra sigill. &c.

§. 99. Atqve hinc est, qvod ejusmodi sangvinem resolventia tam feliciter haud rarò profligent Inflammationes & miracula qs. in earundem curatione edant. Hinc est, qvod Helmontius sangvinem hirci peculiari modo exceptum tantopere deprædicet, eumqve ℥i pondere assumptum confestim absqve Venæ sectione sopire & curare Pleuritidem nec unqvam fallere scribat. Hinc est, qvod sperma ceti, lap. 69. atque ejusmodi ad votum sæpe Pleuræ inflammationem extingvant.

§. 100. Plethoræ ad Vasa debetur Venæ sectio, particularem verò s. affluxum sangvinis copiosiorem tollunt vel minuunt certè tum Intercipientia s. Defensiva, qvæ & vasa angustiora reddunt & sangvinem fluxiliorem incrassant atqve inter Repellentia communiter recensetur; tum omnia ea, qvæ sangvinem allabentem aliorsum & in locum oppositum eumqve à parte affecta remotum satis avertere valent, uno verbo Revellentia.

§. 101. Revellunt sangvinem idqve cum ejusdem evacuatione (1) omnium efficacissimè *Venæsectio*, qvæ idcirco in omnibus fere inflammationibus, nisi critica, maligna aut absqve magno affluxu fuerit, adhiberi consvevit (2) *cucurbitulæ scarifica-*

ta,

ta, qvibus solis in & sub axillis applicatis lethalem colli inflammationem intra paucas horas curavit Marchetti.

§. 102. Absqve evacuatione revellunt sangvinem (1) *cucurbitulæ siccæ*, qvæ vi vacui eundem à parte inflammata trahunt, & in Phrenitide Plantis pedum, in uteri phlegmone mammis non levi emolumento applicantur. (2) *Vesicatoria*, qvæ præter retractionem sangvinis affluentis etiam fermentum & febris & inflammationis non raro tollunt (3.) *Ligaturæ fortes & crudeles*; ac tandem (5) *Frictiones*.

§. 103. Angustia vasorum remotis iis qvæ eadem obstruere, constringere & comprimere solent tollitur. Qvare humores viscosi ac glutinosi per alcalia, terrea, acida, maximè autem per ♎tuosa & Urinosa fluxiles iterũ reddendi & sudoris vel alia via evacuandi. Os luxatum sedi & loco suo restituendũ vinculaq; laxanda. Austerum acidumqve adstringens per ♎tuosa, alcalia, oleosa, terrea &c. corrigendum.

§. 104. Aperta vasa claudunt rursus (1) *Adstringentia*, ut plantago &c. imprimis tamen terrea, ut lap. hæmat, corallia, bol. arm &c. (2) *glutinantia*, qvalia sunt sangvis draconis, thus &c. (3) remote etiam *ea, qvæ causam apertionis* e, g. acrimoniam vel ebullitionem sangvinis *auferunt* & prolixius à Practicis, hunc in finem consulendis, recensentur.

§. 105. Deniqve fermenti etiam præcipua (cum unicè sæpius ab ipso effervescentia atqve inflammatio pendeant) habenda est ratio, ut illud vel figatur, vel ♃tetur, vel è parte affecta penitus ejiciatur. Efficient autem illud superius §. 93. 94. & 95. proposita remedia, qvæ sangvinem qvoqve simul alterare s. prædominantes particulas coërcere atqve deprimere valent.

§. 106. Dictum E. hucusqve, qvalia & effervescentia & causæ hujus postulent ipsisqve debeant ac conveniant remedia. Ostendendum nunc porro, qvo ordine s. methodo, qvove modo ista sint applicanda.

§. 107. Notetur igitur primò Affluxum ante omnia si urgeat esse respiciendum, tum ut præsens tollatur, tum ut imminens præcaveatur. Imitandum hâc in parte insigne belli Ducum stratagema, qvi in oppugnandis hostibus id unice student, qvò obses-

 sos

ſos omni auxilio omniqve commeatu privent atqve interclu-dant, ſic enim eo faciliùs poſtea frangere illos ac ſuperare valent: ita & nos dabimus operam qvam maximè ne affluentibus novis principiis activis augeantur in parte inflammata particularum efferveſcentium copiæ visqve ipſarum creſcat; hoc pacto enim leviori negotio tumultuantes has ſubigere atq; domare poterimus.

§. 108. Singula ea itaqve hîc applicanda, qvæ ad ſiſtendum vel minuendum ſaltim affluxum commendavimus ſuperius, atqve inter illa primario Venæ ſectionem, inſtituendam ſemper in parte ſi non κατ' ἴξιν, ſ. ſecundum longitudinem, tamen qvoad latitudinem oppoſitâ. Qvare in omni Inflammatione brachiorum Venas absqve delectu (cum ex uno arteriarum trunco oriantur) ſecare licet. Poſſunt & Sapphenæ, præſertim ſi Inflammatio partes in ſuprema & mediâ corporis cavitate prehenderit, incidi.

§. 109. Qvantitatem ſangvinis effundendi determinabunt plethora, morbi conditio & vires maximè. His deficientibus præſtat parciùs una vice educere ſangvinem & repetere poſtmodum Venæ ſectionem.

§. 110. Huic cœtera revulſionum genera per Cucurbitulas ſcil. Veſicatoria, ligaturas, frictiones &c. ſuccedere poſſunt, ea tamen ſemper cautione ut in remotioribus magis qvam vicinis partibus inſtituantur.

§. 111. Sedato aut diminuto Affluxu, vel ſi is non urgeat, aut malignitas, criſis aliudve haud intempeſtive inhibendum illum ſvadeant, ea nunc applicanda, qvæ relictum ſangvinem vel è parte inflammata educere atqve ejicere, vel efferveſcentiam illius reprimere valent.

§. 112. Venæ ſectionem proinde aliaqve revellentia, inflammatione ita ferête, excipiat *derivatio* ſ. ſangvinis influxi in alium locum traductio. Hæc itidem ſectione earum tamen venarum fieri poteſt, qvæ vel à parte affecta oriuntur, vel cum arteriis ſangvinem ad partem iſtam deferentibus communicant.

§. 113. Evacuant qvoqve in parte affecta reſtitantem ſangvinem ſcarificatio partis affectæ, cumprimis in Carbunculo (ut de aliis nunc nihil dicam) locum habens, ubi ob adjunctam malignitatem metumqve ne in corpus illa derivetur, abſtinendum

qvi-

qvidem erat à Venæ sectione, effervescentis tamen malignitas sui urgebat eductionem. Nonnunqvam & Cucurbitulæ simul apponuntur, qvo eô citius feliciusqve è profundioribus locis sangvis corruptus & malignus educatur.

§. 114. In Pharmaceuticis initium juxta vulgarem methodum faciendum à REPELLENTIBUS, qvæ pro usu interno variâ formâ propinare licet, pro externo verò ad vitandam pororum occlusionem & hanc subseqventem suppuratiooem vel Gangrænam commodissime Epithematis vel Cataplasmatis specie & tepide applicanda præscribuntur,

℞ ▽ *Tormentillæ, Vini granat. succ cydon. â ℥j rob ribium, diamor.* â ℥ij. M. F. Potio.

℞ *Conf. Ros. rubr.* ⊕*lat* ℥*j. pulp. cydon. coct.* ʒß *Corall. rubr. ppt. bol. arm.* â ʒß *pulv. balaust. sangv. dracon.* â ℈j *sir. myrtin. q. f.* M. F. l. a. Electuarium.

℞. *Fol. plantag. semperviv. a* m. ij. *fl. nymph. alb. rosar. rubr.* â mj. *cort. granat.* ʒij Coq. in q. s. *Vini austeri*, adde *acet. destillati* ℥j & F. Cataplasma.

℞ ▽*æ portul. solani, lactuc.* â ℥iij *succi plantag. semperv.* â ℥iß *Ceruss. lithargyr.* â ʒij M. pro Epithemate.

℞ *Pulv. ros. rubr. balaust.* an. ℥j *bol. arm. gall. immatu*: an ʒß O er ʒj M. atqve cum *alb. ov.* & *✠cti ros.* an. q. s. F. Cataplasma.

§. 115. Caute tamen in Repellentium applicatione procedendum, ne interiorem Inflammationem ad exteriora tendentem impediamus, vel jam in exteriori membro subsistentem ad partem interiorem, ab ignobiliori ad nobiliorem repellamus; videndum qvoqve ne critica (ac nec qvasi critica, ut Erysipelas) vel maligna sit inflammatio, hoc namqve casu ab iis, utpote summè noxiis, penitus est abstinendum.

§. 116. Imo ut, qvod res est, dicam sunt certe Repellentia externa non adeo tutum ac periculosum ferme remedium, & idcirco ab acutissimo Sylvio prorsus rejecta. Facile enim fieri & vix caveri potest, ne, si ad jussum Practicorum, soli & absqve Effervescentiam sangvinis sedantibus in initio Phlegmones adhibeantur, constringendo partem exprimant qs. particulas effervescentes & in venas remeare cogant, qvæ illas postmodum vel ad Cor vel

vel alias partes cum maximâ ſubſeqventis novæ Inflammationis aut febris noxa deferant. Hinc repellentia aut planè non, aut non niſi cum ſedativis atqve ita adhibeantur, ut ſedativorum magis qvam adſtringentium ſ. Repellentium poteſtas emineat atqve prædominet.

§. 117. Exemplum hujus, (leve qvamvis) ſit tale.

℞ *Fol. plantag. lactuc.* â m. ij. *fl. chamel. m. iij. farin. ſem. lin.* ℥ß Coqv. in ſ. q. ✠ti Vini & F. Cataplaſma.

In formulâ iſtâ nimia adſtringendi ſ. Repellendi vis corrigitur & coercetur aliqvantiſper per laxantia atqve emollientia, ut acida figendi ac præcipitandi vis fortius qvam adſtrictiva emineat.

§. 118. Tutior qvodammodo DISCUTIENTIUM ac Repellentium, videtur uſus, qvæ verſus augmentum vergente inflammatione repellentibus admiſcenda & eousqve ſemper horum qvantitatem augendam ſvadent communiter, donec tandem in declinatione ſola adhibeantur, hoc circiter modo.

℞ *Pulv. rad. ireos* ℥ß *fol. plantag. portulac.* â ℥ij *marrub. alb. Fl. roſar. rubr. chamæm.* an. ℥ß Coqv. in ſ. q. ▽æ *comm.* & F. cataplaſma.

℞ *Fl. melilot. ſambuc. ſumm. aneth. abſinth.* â m iß *farin. ſem. fœnugr.* ℥ij Coqv. in ▽ ſimpl. q. ſ. adde *ol. chamæm. nidi hirund.* â ℥ß. M. F. Cataplaſma.

§. 119. Verum uti Diſcutientium internorum (qvæ mox ſuppeditabimus) eximius planè eſt, eundemq; mira ſæpe præſtare fatendum omnino ſit; ita internus eorunde muſus omnis periculi haud penitus expers; Verendum enim maximoperè ne diſcuſſio interiora verſus fiat, ſive qvod particulæ efferveſcentes fermentũq; ad interiores disſipentur vel detrudãtur partes, ibiq; novam pejoremqve excitent Efferveſcentiam, ſicuti à fortioribus diſcutientibus externis pleuritis in peripnevmoniam, Ophthalmia vel aurium Inflammatio in Phrenitidem prompte tranſire qveunt; Qvare nec ii externè facile in uſum trahendi, ni vel admixtorum ſedativorum vis prævaleat, vel diſcutientia interna, qvæ halitus adventantes aliorſum flectent ſimul propinata fuerint.

§. 120.

§. 120. His omnibus ergò scil. Repellentibus & Discutientibus, imo ipsi Venæsectioni ex parte præfero ac antepono DIAPHORETICORUM usum. Qvicqvid enim & inflammationem & Effervescentiam feliciter tollere potest, omne illud à sudoriferis, fortioribus præsertim, certò atq; indubie exspectare licet. Avertunt & repellunt sangvinem non in interna solum, ubi tunc ad exteriores partes vergere ille à sudorifero cogitur, sed externa etiam, qvando sangvis non ad partem inflammatam, sed in totum corpus abripitur & dispergitur. Solvunt sangvinem coagulatum atq; fluxilem reddunt, qvatenus acidum infringunt & præcipitant. Solutum in habitus vertunt atqve una cum particulis effervescentibus fermentoqve (præcipue maligno) discutiunt & sudoris specie è corpore eliminant.

§. 121. Formulæ sint tales

℞ ▽ *Carduiben.* ; *fl. Sambuc.* an. ℥iß *≏tus theriacal. camph.* ʒiß ⊖ *fulig. vol. albiss.* ℈xv. ▽ *CC. nov.* . ℥ß *Sir. papav. errat.* ʒij. Misce.

℞. ⊖ *vol. viper albiss.* ℈xij. *Bezoard. min.* gr. viij. *lap. Bezoar.* gr. iij. M. F. Pulvis.

℞. *Diascord. Frac.* ʒij. *pulv. Bezoard. Senn. pannon.* an. ℈ß *Sir. corall.* q. s. M. F. Electuarium.

§. 122. Fractis hoc pacto atqve imminutis per sudorifera potissimis particularum rebellium ac effervescentium copiis, residuæ harum per FIGENTIA, PRÆCIPITANTIA & ABSORBENTIA (superiùs à nobis enumerata) coërceri poterunt. Inter illa vero eminent cumprimis terrea, acida fixa & opiata etiam, qvippe qvæ omnia s. à fermento acido s. alcalino, s. à fixo, s. volatili, s. à motu spontaneo fuerit inflammatio, in discriminatim idqve tuto propinare licet. Formulas autem hic suppeditare, cum ex Practicorum Recentiorum libris haurire illas abunde liceat, supervacaneum erit.

§. 123. Qvod si vero omni adhibita industria effervescentia sedari neqveat, sed ad Suppurationem ea tendat, danda, ut §. 91. dictum, opera, ut blande ista adjuvetur, & ad finem exoptatum qvam citissimè perducatur.

§. 124. Hæc tamen non ita accipi velim, ac si omnis suppuratio accelaranda, sed tunc demum cum nec nobilitas nec conditio par-

tis

tis inflammatæ eandem disvadeat. In nobiliorum enim qvarundam partium, e. g. Cerebri, ubi lethalis fere semper suppuratio, præstat ab eadem abstinere & naturæ totum negotium committere, qvam huic male agenti se socium præbere auxiliumqve ferre.

§. 125. Duplicis autem generis sunt, qvæ suppurationem promovent: Alia enim vehiculum qvasi largiuntur particulis effervescentibus, ut eò faciliùs atqve promptiùs absolvant motum suum, & Emollientia audiunt qvalia sunt, radix altheæ, herb. 5. emoll. chamæmelum. &c. Alia, qvæ, poros blande obstruendo, aufugientes particulas detinent, qvo fortiore redditâ Effervescentiâ, eò citiùs sangvis in pus mutetur; & sunt ejusmodi Ol. lil. alb., lini, chamæmel. it: pingvedines animalium ut luc. maximè verò lepor.

§. 126. ℞. *Cæpar. sub cin. assat. & contus.* ℥j fl. *chamæmel. melilot.* an. mj. *pulv. sem. lin.* ʒij. Coqv. in s. q. ▽æ adde *Ol. Chamæm.* ℥ß & F. Cataplasma.

℞. *Ol. lil. alb. lin.* an. ℥j. *Emplast. diachyl.* ʒij. *pingv. luc. lep.* an. ʒj. *ceræ parum* M. F. Ungventum.

§. 127. Facto pure tumor aperiendus illudqve evacuandum ac curatio, ut in ulceribus solet, instituenda. Hanc enim hoc loco tradere instituti nostri ratio haud permittit, cum alioqvin etiam de Gangræna, Scirrho aliisqve, in qvæ sæpe transit Inflammatio, agendum foret. Potiùs Diætam Colophonis loco breviter annectimus.

§. 128. In hac ergò aer sit temperatus, Cibi refrigerent atqve lactucâ, endivia, citris, condiantur. Potus sit Cerevisia tenuis, à Vino præsertim generoso penitus abstinendum. Vitet iram aliosqve affectus, qvi sangvinem impetuose movent. Alvus aperta servanda, & si officium non faciat, hujus clystere aliqvo admonenda. Pori qvoqve patuli sint, ut transpirare calida effluvia bene qveant. Qvieti studeat atqve somno tempestive utatur.

S. D. G.